

post glandes et ipsa casura allatura sint, res ostendet. Hactenus nullus ita pestilenticus numerus funerum nec periculum dignum metu fuit. Nos apud quos gubernatio scholae est, maluimus in illam peccasse partem, ut veluti solliciti parentes plus satis φιλόστοργοι pro liberis multorum magnorum et optimorum hominum videremur, quam exponere vel unum periculo, atque ideo ex autoritate et singulari paterna sollicitudine illuss. electoris principis ad tempus translata est schola.

Locos de utraque specie (cum ita velle V. R. P.^{tem} scribat m. *Georgius*) remisi m. *Georgio Forch.*, quos ubi auctos, ut scribit, remiseritis, curabimus ipse et ego cum praefatione primum a. V. R. P. exhibenda excudendos. Quod ad rempublicam attinet, audio pontificium legatum fuisse *Erphordiae*, miror nondum venisse *Wimariam*. Fama est ipsum nihil habere in mandatis maius, quam res illas cogendae synodi, et nunc de loco disputari. D. *Philippus* in regnum Galliae quidem vocatus est, sed illuss. elector noster Saxon. non vult permittere et multi boni nec stultissimi suspecta habent omnia Gallica, cum sit rex irritatus victoria Caesaris et semper diversa molitus et iam, ut doctor *Antonius*¹ *Anglicus* legatus dicit, 40 M. militum, Helveticorum et Germanorum, habeat in armis pro papa P. III. et contra Caes. Doctor *Antonius*, legatus Anglicus, adfirmat constanter, duos magnos dominos cum XXX equis venturos intra mensem ex regno Galliae missos etiam ad Electorem Saxon. in causa religionis et ut petant d. *Philippum* mitti in regnum Angliae. Dominus *Langaeus*,² ex summa familia quadam, frater episcopi *Parrisiensis*, expectavit d. *Philippum Argentorati*, et offensionem aliquam pariet tamen in regno Galliae *Phil.* non venisse. Sed istae tantae res sicut coeptae sunt non humano consilio aut robore, ita gubernantur mirabiliter et divinitus. Nos interim in his cogitamus, deliberamus, praevidemus (si modo praevidere aliquid ibi humani captus est) tantum quantum homines (i. e. vermiculi et somnia vermiculorum) in rebus coelestis et divini consilii possunt. Istae res tantae hactenus non sunt humano aut ullius creaturae consilio ab initio revelationis Evangelii gubernatae, nec nunc ullius hominis ullo consilio administrabuntur. Oratio et clamor ad coelum ibi erunt papa, concilium, synodus in tantis negociis. Sed tamen interim optamus (ut homines) in concilio generali et libero res tantas deduci ad colloquium et deliberationem piorum et bonorum et eruditorum. Nam quid cardinales, cardines rubiginosi ecclesiae, quid titulotenus episcopi ferrei iam XVIII annis ad singul-

¹ Vrgl. über diesen englischen Gesandten und seine Aufträge Köstlin II², S. 371 flg.

² Vrgl. über Wilhelm von Langay Baumgarten, Ueber Sleidans Leben. Strassburg 1878, S. 53 flg.